

**IN MISSA DE
Angelis.**

**Lectio libri Apocalypsis
B. Joannis Apóstoli.**

*Apo.
5. e*

IN diébus illis: Audí-
vi vocem Angelô-
rum multôrum in
circúitu throni, & animá-
lium, & seniôrum: & erat
númerus eôrum millia
millium, dicentium voce
magna: Dignus est Ag-
nus qui occísus est, accípe-
re virtútem & divinitá-
tem & sapiéntiam & for-
titudinem & honôrem &
glóriam, & benedictiô-
nem. Et omnem creatû-
ram, quæ in cœlo est, &
super terram, & sub ter-
ra, & quæ sunt in mari, &
quæ in eo; omnes audívi
dicentes: Sedénti in thro-
no, & Agno, benedictio
& honor & glória & po-
téstas in sæcula sæculô-
rum. Et quátuor animália
dicébant: Amen. Et vi-

gintiquátuor seniôres ce-
cidérunt in fácies suas, &
adoravérunt vivéntem in
sæcula sæculôrum.

**In ália Missa votíva de
S. Michaéle Archánge-
lo, prout in ejus Dedicá-
tiône mense Septembri.**

**IN MISSA VOTIVA
de SS. Apóstolis Petro
& Paulo.**

**Lectio Actuum Apos-
tolôrum.**

IN diébus illis: Per *Act.
5. b*
manus Apostolôrum
fiébant signa & pro-
dígia multa in plebe. Et
erant unánimiter omnes
in pórticu Salomônis. Ce-
terôrum autem nemo au-
dêbat se conjungere illis:
sed magnificâbat eos pó-
pulus. Magis autem auge-
bâtur credéntium in Dó-
mino multitúdo virôrum
ac mulierum, ita ut in

pla-

plátéas ejicerent infirmos,
& pónerent in léctulis ac-
grabátis, ut, veniente Pe-
tro, saltem umbra illius
obumbrâret quemquam
illôrum, & liberaréntur
ab infirmitátibus suis.
Concurrêbat autem &
multitúdo vicinârum civi-
tátum Jerúsalem, afferén-
tes ægros, & vexátos à
spirítibus immúndis: qui
curabántur omnes.

**Témpore Pascháli dicitur
eadem Epístola ut suprâ.**

**IN MISSA DE
Spíritu sancto.**

**Lectio Actuum Apos-
tolôrum.**

*Act.
8. c*

IN diébus illis: Cùm
audíssent Apóstoli
qui erant Jerosóly-
mis, quòd recepisset Sa-
maría verbum Dei, mi-
sérunt ad eos Petrum &
Joánnem. Qui cùm ve-

níssent, oravérunt pro ip-
sis ut accíperent Spíritum
sanctum: nondum enim
in quemquam illôrum vé-
nerat, sed baptizáti tan-
tùm erant in nómine Dó-
mini Jesu. Tunc imponé-
bant manus super illos,
& accipiébant Spíritum
sanctum.

**Ad postulándam gratiam
Spíritus sancti, dicitur éa-
dem Epístola ut suprâ.**

**IN MISSA DE
Sanctíssimo Eucharistíæ
Sacraménto.**

**Lectio Epístolæ B. Pauli
Apóstoli ad Corínthios.**

FRatres, Ego enim *1.
Cor.
11. c*
accépi à Dómino
quod & trádidi vo-
bis, quóniam Dóminus
Jesus in qua nocte trade-
bâtur, accépit panem, &
grátias agens, fregit, & di-
xit: Accípite, & manducâ-

Kk 2

te:

te: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam conavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.

IN MISSA DE Sancta Cruce.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apost. ad Philippenses.

FRatres, Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: * ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Phil. 2.

** Hic genu flectitur.*

IN MISSA DE Passione Domini nostri Jesu Christi.

Lectio Zachariæ Proph.

HÆc dicit Dominus: Effundam super domum David & super habitato-

Zac. 12. c

res

res Jerusalem, spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolébunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem: & dicetur: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Fræmea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi: dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oves: ait Dominus omnipotens.

Lectio Isaïæ Prophætæ.

IN dièbus illis: Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Petite tibi signum à Domino Deo tuo in profundum infèrni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël. Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

Isai. 7. b

IN MISSIS
Votivis de Sancta Maria,
ab Advèntu, usque ad
Nativitatem.

A NATIVITATE
usque ad Purifica-
tionem.

Léc-

Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apóstoli ad
Titum.

Tit.
2. b

Charissime, Ap-
paruit benigni-
tas & humanitas
Salvatoris nostri Dei:
non ex operibus justitiae
quæ fecimus nos,
sed secundum suam mi-
sericordiam salvos nos
fecit, per lavacrum re-
generationis & renova-
tionis Spiritus sancti,
quem effudit in nos
abundè per Jesum Chris-
tum Salvatorem nos-
trum: ut justificati grã-
tia ipsius, hæredes si-
mus secundum spem
vitæ æternæ: in Chris-
to Jesu Domino nostro.

A PURIFICATIONE
usque ad Pascha.

Epistola: Ab initio, &
ante sæcula, ut in se-
quenti Missa.

A PASCHA USQUE
ad Pentecosten.

Lectio libri Sapientiae.

AB initio & ante
sæcula creata
sum, & usque
ad futurum sæculum
non desinam: & in ha-
bitatione sancta coram
ipso ministravi. Et sic
in Sion firmata sum,
& in civitate sanctifica-
ta similiter requievi, &
in Jerusalem potestas
mea. Et radicavi in pó-
pulo honorificato, & in
parte Dei mei hæredita-
tas illius, & in plenitudi-
ne sanctorum detentio
mea.

Ecol.
24. b

A PENTECOSTE
usque ad Adventum.

Epistola: Ab initio, &
ante sæcula, ut in præce-
denti Missa.

IN MISSA PRO
eligendo Summo Pontifi-
ce, sede vacante.

Léc-

Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apóstoli ad
Hebræos.

Heb.
4. d

Fratres, Adeamus
cum fiducia ad
thronum gratiæ:
ut misericordiam conse-
quamur, & gratiam inve-
niamus in auxilio oppor-
tuno. Omnis namque
Pontifex ex hominibus as-
sumptus, pro hominibus
constituitur in iis quæ sunt
ad Deum, ut offerat do-
na & sacrificia pro pec-
catis: qui condolere pos-
sit iis qui ignorant & er-
rant: quoniam & ipse cir-
cumdatus est infirmitate:
& propterea debet, quem-
admodum pro populo,
ita etiam & pro seme-
típso offerre pro peccatis.
Nec quisquam sumit si-
bi honorem; sed qui vo-
catur à Deo, tamquam
Aaron. Sic & Christus
non semetipsum clarifica-
vit ut Pontifex fieret; sed

qui locutus est ad eum:
Filius meus es tu, ego hodie
genui te. Quemadmodum
& in alio loco dicit:
Tu es sacerdos in æternum
secundum ordinem
Melchisedech. Qui in die-
bus carnis suæ, preces,
supplicationesque ad eum
qui possit illum salvum
facere à morte, cum cla-
more valido, & lacrymis
offerens, exauditus est
pro sua reverentia.

IN DIE CREATIONIS,
& Coronationis Papæ, &
ejusdem diei Anniversario,
dicitur Epistola, ut
in Cathedra B. Petri, 18.
Januarii, pag. 168.

IN ANNIVERSARIO
consecrationis Episcopi
dicitur Epistol. Omnis
Pontifex, ut supra in
communi Conf. Pontif.
pag. xiii.

IN

**IN MISSA AD
tollendum schisma.****Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apóstoli ad
Ephésios.**Eph.
4.

FRatres, Obsecro vos, ut dignè ambulètis vocatiõne, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocatiõnis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donatiõnis Christi: donec occurramus omnes in unitatem

fidei, & agnitiõnis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventiõnem erroris. Veritatem autem facientes, in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & conexum per omnem juncturam subministratiõnis, secundum operatiõnem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificatiõnem sui in charitate. Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut jam non ambulètis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes in-

tel-

tellèctum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operatiõnem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Christo Jesu Domino nostro.

**IN MISSA PRO
quacumque neces-
sitate.****Lectio Jeremiæ Pro-
phætæ.**Jer.
14.

SI iniquitates nostræ responderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus. Expectatio Israël, salvator ejus in tẽ-

pore tribulatiõnis. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos, Domine Deus noster.

**IN MISSA PRO
remissiõne pecca-
torum.****Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apóstoli ad
Romanos.**

FRatres, Condelèctor legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

Rom.
7. d

LI

IN